



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-592663-p0001-7

DFG

Dissertationes in hoc volumine contentae.

1. Positiones quædam iuridico-politicae dñibz quas p̄git Henricus Grossen, & V. D. publice ventilati communis Jacoby Clemens. Bradisla. Siles. Witteberga.
2. Conclusiones aliquot ḡratorum p̄git Danièle Kabel &c, et fensor à Got. filio Martini. Foro. Heidelberg.
3. Positiones et inculpati tutelâ, quæs disputandæ proposuit Leopol. dy Hasselmann. & V. D. Resp. Bernardo ab Annib. Eq. March. Lips.
4. Disput. et Pœdæ, quam p̄git D. Wilhelmo Schmuck defendit Wil. helm Müller. Hambrg. Lipsior.
5. Disput. ad l. Frangere. 18. C. et Transactionibz quam Conradus Caputorius & V. D. Resp. Christiano Caputorio Collie. Mün. hūis Witteberga.
6. Positiones ex eactm l. 18, quæs placide collati libicis Fran. ciscq Romæ. & V. D. Resp. Christiano a Braderstein. Lipsior.
7. Asperstiones de servitio libe realibz quæs examinandas prop. suis Friederich Georgij. & V. D. Resp. Philippo Lockmann. Bon. hensi. Lipsior.
8. Disput. et dolo, quam p̄git Valentino Dienero. &c, publico ga. misi libicis Magno Polye. Hannover. Genel.
9. Disput. et Probationibz, quam p̄git Corrado Caputorius & V. D. publico examini exhibet Henricus Schabbeck. Wismar. Ne. capol. Witteberga.
10. Disput. et Fid. testamentorum, quam p̄git Otholopho Tomanno. &c. misi Johannes Christophorus Avermannus. Bremue. &c. n.d.



— 7 —

T

ERIDERICHVS GEORGII LIPSIENSIS  
PHILOSOPHIÆ ET VTRIVSQUE IURIS DOCTOR  
ASSERTIONES SEQUENTES  
DE SERVITVTIBVS REALIBVS

Ex variis Juris Civilis textibus desumptas ordinaria disputatione publicè examinandas proponit

R E S P O N D E N T E

PHILIPPO LOCHMAN BORNENSE.



1. Ominium, quod alias à veteribus Latinæ linguaæ au&toribus & in 12. tabb. cùm mancipium tūm au&toritas nominatur, servitutib⁹ in primis minuitur.

2. Per servitutes autem hoc loco non intellegimus meas illas personales obligationes, quibus contra naturalem libertatem personæ dominio nostro subjiciuntur; sed jus, quo res aliena aut nobis aut rei nostræ servit, & ex jure gentium descendit.

3. Hinc servitus generaliter nihil aliud est, quām jus in re aliena constitutum, quo res rei aut personæ servit, estq; ratione subjecti duplex.

4. Quædam enim personales, quædam reales servitutes appellantur, de quibus in præsentia tractabimus.

5. Reales igitur dicuntur, quod illas prædia prædiis debeant, & definiuntur jus, quod alieno prædio impositum, ad vicini prædii usum perpetuum est cōstitutum.

6. Vicinitas itaque prædiorum est necessaria; Etenim qui prædium non habet, nec servitutem prædiale habere intelligitur.

7. Planè si prædium futurum speretur, servitus omnino promitti potest.

8. Sicut autem prædia non loco, sed materia sive usu & qualitate distinguuntur; & hinc alia urbana, alia rustica appellantur: Ita quoq; servitutes, hæ in urbanas & rusticæ dividuntur.

9. Urbanis servitutibus annumeratur, ut vicinus vicini onera sustineat: Et in hac servitutis specie illud ob tacitam pactionem singulare continetur, ut actio detur adversus dominum tantum de reficiendo ruinoso parieti.

10. Ed quoque referenda est servitusne luminibus officiatur, quæ planè diversam à servitute altius non tollendi rationem habet.

11. Contra verò servitus prospectus & ne prospectui officiatur, distinctæ servitutes non sunt.

12. Sunt & alia species urbanarum servitutum, ut jus altius tollendi, tignum in parietem immittendi, servitus protegendi, projiciendi, sumi immittendi, stillicidii recipiendi, fluminis non avertendi.

13. Et quantum ad projiciendi & protegendi servitutes attinet, illas quoque genere quodam differre putamus.

14. Sanè, qui jus cloacæ aut projiciendi habet, res fastidas & odore gravi noxiæ, in vicini fundum immittere non potest. Et hæc de Urbanis.

15. Rusticorum verò prædiorum servitutes sunt, iter, actus, via, aquæductus, aquæhaustus, pecoris ad aquam appulsus, jus pascendi.

16. Huc quoque referimus, jus calcis coquendæ, creta eximendæ, arenæ, luti, terræq; figulinæ fodiendæ.

17. Iter est jus eundi, ambulandi hominis per fundum alienum, non etiam jumentum agendi, vel vehiculum ducendi.

18. Actus est jus agendi jumentum vel vehiculum.

19. Via est jus eundi & agendi, & ambulandi hominis: Quippe cum via tam iter quam actum in se & ex se contineat.

20. Porro latitudinem quoque legitimam & definitam habet, octo nimurum pedum in porrectum, hoc est, in latum: & sedecim in anfractum, hoc est, orbem: Itineris vero atque actus latitudo arbitria est.

21. Aquæductus est jus aquæducendæ ex fonte vel fluamine vicino per fundum alienum, puta canali vel fossa ducta.

22. Et, hanc servitutem eandem esse cum servitute aquæquærendæ, non dubitamus.

23. Aquæhaustus est jus hauriendi aquam ex fonte, puto, fossa, vicini prædii quantum ad dominantis fundi usum sufficit.

24. De venationis jure, an servitutibus sit annumerandum, anxiè disputant Dd. Nos, quantumvis licet servitutibus proximè accedere videatur, servitutem non esse putamus.

25. Pariter de illo, ut mihi in alterius fundo pomum decerpere, spaciari, ambulare licet, num inde realis vel personalis servitus oriatur, inter interpretes controvertitur? Negativa nobis placet sententia.

26. Ceterum facultas servitutem imponendarum regulariter soli domino prædii competit.

27. Emphyteutæ tamen Vasallo, & superficiario eas ita imponere permisum est, ut simul cum ipsorum iure definant.

28. Vnde jam intellegitur servitutes iis tantum locis, quæ in commercio nostro sunt, non verò sacræ, sanctis religiosis, aut locis publicis, nisi ex singulari principis sacratissimi indulto, imponi posse: quanquam interim illis recte acquirantur.

29. Constituuntur autem servitutes, lege, pacto, venditionibus & aliis conventionibus, ultima voluntate & adjudicatione in judiciis duplicitibus.

30. Eo quoque casu, quo vicinus vicini fundum ita circumscriptum habet, ut ad eum colendi gratiæ nisi per longas ambages veniri non possit, judicem compellere vicinum posse, ut oblato justo precio, vicino iter aut actum concedat, juris ratio suadet.

31. Sic etiam diurno usu & longâ quasi possessione adquiruntur servitutes, superhabitâ illâ, quam inter continuas & discontinuas, ut vocant, servitutes, diffentiâ.

32. Quo in casu legitimi temporis continuationem, bonam fidem, & usum jure servitutis: non verò titulum, nec semper adversarii scientiam requirimus.

33. Tenendum & hoc est, differre admodum promissione servitutis, à constitutione: ex illa obligatio personalis nascitur, quæ conditionem & diem recipit: Ex hac jus reale fine die & conditione venit fundo annexum.

34.

Servitus autem, quæ prædio dominanti nullum omnino commodum affert, constitui nequit.

35.

Sed legitimè constitutæ universum id omnes secundatur, sine quo iis commodè uti non possumus.

36.

Hinc aquæhaustu concessu, iter etiam ad hauriendum unâ constitutum reputatur.

37.

Ita tamen, ut haustum ex vicino fundi servientis rivis ad aliam, atque cui servitus acquisita est, fundi partem, vertere & traducere tibi non sit liberum.

38.

Et inde fit, ut servitutes divisionem non admittant: Etenim earum naturæ, eas vel pro parte imponi vel omissi possè, refragatur.

39.

Nec etiam pignori possunt obligari servitutes prædiales: Licet domino servitutem imponere prædio permittrat J.C. Pomponius, ut ea vicinus creditor tam diu utatur, donec pecunia restituatur.

40.

Servitutum nomine duplex datur actio: altera quæ dominus servitutem sibi prædiœ suo debitam vindicat, & proinde confessoria dicitur: altera huic contraria negotiora nominatur, qua prædii nostri libertatera asserimus.

41.

At genus hoc actionis in rerum corporalium controversiis non obtinet, nisi uno in casu, quando probatio in rei vindicatione possessori reo incumbit; qui ad judicium prior non provocavit.

42.

Novi quoque operis nunciatione ob servitutes nobis debitas experiri possumus.

43.

Quæ actiones non tantum adversus dominum obtinent, sed etiam contra quemcumque possessorem, atq; ad eum in quemvis alium, servitutis usum, vel rei nostræ, quam sibi servire existimat, libertatem impediantem.

44.

Amittuntur tandem servitutes reales iisdem ferè modis, quibus personales, puta confusione, si videlicet utriusque prædii dominium consolidatur, & non usu per tempus constitutum.

45.

Rusticæ quidem simpliciter non utendo perent: urbanæ verò non item: nisi per idem statutum tempus, quo adversarius usus servitutis non est, simul ædium suarum libertatem quis usucperit.

46.

Sed an rei interitus servitutes perimat usquequaq; expeditum non est? Nos, si res penitus interiit, ut reparari non possit, servitutem unâ mortuam esse arbitramur.

Q U A E R I T U R

1.

Feudorum origo an solis Germanis sit attribuenda?

2.

An feudum recte definiatur, quod sit usus fructus quidam in re immobili sub conditione fidei?


3.

An venatio sit inter regalia connubenda?

Addiem Jovis proximum 5. Novemb. hora loco que consuetis.

Typis NERLICHIANIS Iohannes Herman excudebat.

[ca. 1616]



BRUND  
PHILOSOPHIA  
A

ER SC

152

BRUND  
PHILOSOPHIA  
A  
ER SC

BRUND  
PHILOSOPHIA  
A  
ER SC

AB:153709

X2615956

Retro  
VDA





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-592663-p0008-7

DFG

